



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

272. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

De eadem re. *Ex Concilio Toletano.*

CCL XIX. Si quis Clericus in demolien- Concil. Tolet.  
dis sepulcris fuerit deprehensus , oportet in ta- 4. c. 46.  
liscelere proditum à clericatus ordine submo- Burchard. lib.  
veri & pœnitentiæ triennio deputari. II. c. 63.

De eadem re. *Ex Concilio Agathensi.*

CCL XX. Si quis Clericus furtum Eccle- Conc. Agath.  
sæ fecerit , peregrina ei communio tribuatur. c. 5.

De eadem re. *Ex eodem.*

CCL XXI. Si quis Clericus aut mona- Exceptiones  
chus furtum fecerit , quod potius sacrilegium Egberti c. 68.  
dici potest , id censuimus ordinandum , ut ju- Burchard. lib.  
nior virginis cæsus , tanti criminis reus , nun- II. c. 64.  
quam officium ecclesiasticum accipiat. Si ve-  
rò jam ordinatus in hoc facinore fuerit depre-  
hensus , nominis ipsius dignitate privetur . cui  
sufficere potest , pro actus sui levitate , imple-  
ta pœnitentiæ satisfactione , sola communio.

*Caput istud non extat inter canones synodi  
Agathensis. Et tamen Egbertus Cantuarien-  
sis , qui multò antiquior est Reginone , illud  
laudat ex Concilio Agathensi.*

De eadem re. *Ex dictis Hieronymi  
ad Titum.*

CCL XXII. Fur autem non solum in Burchard. lib.  
majoribus , sed etiam in minoribus judicatur. II. c. 55.  
Non enim quid furto ablatum est , sed mens  
furantis attenditur. Quomodo in fornicatione  
non idcirco diversa est fornicatio , si mulier  
pulchra aut deformis , ancilla aut ingenua ,

314 R E G I N O N I S L I B . II.  
pauper aut opulenta. Sed qualiscunque illa  
fuerit, una est fornicatio. Ita in furto, quan-  
tuimcunque quis abstulerit, furti crimen in-  
currit.

De eadem re. *Augustini dicta.*

August. in  
Exod. q. 39.  
Burchard. lib.  
11. c. 53.

C C L X X I I I . Dixit Dominus ad Moy-  
sen: *Accipiat unusquisque à proximo suo &*  
*proxima vasa argentea & aurea & vestes &c.*  
Non hinc quisquam exemplum sumendum  
putare debet ad expoliandum proximum.  
Hoc enim Deus iussit, qui noverat quid  
quemque pati oporteret. Nec Israëlitæ fece-  
runt; sed Deo jubente ministerium præbue-  
runt. Quemadmodum cum minister occidit  
eum quem judex iussit occidi; profectò si id  
sponte faciat, homicida est, etiamsi eum occi-  
dat quem scit à judice occidi debuisse.

Item *Augustinus.*

August. in  
Exod. q. 71.  
Burchard. lib.  
11. c. 54.

Pœnale est occultè auferre. Multò ma-  
joris pœnæ est visibiliter eripere. Auferre  
ergo nolenti, sive occultè, seu palam, ha-  
bet præceptum suum. Furti enim nomine be-  
ne intellegitur omnis inlicita usurpatio rei  
alienæ. Non enim rapinam permisit qui fut-  
tum prohibuit, sed utique sub furti nomine &  
rapinam intellegi voluit. A parte enim totum  
significavit quicquid proximo aufertur.

De eadem re. *Ex Capitularibus.*

Lib. 6. Capi-  
tular. c. 96 &  
in Capitulis  
Karoli Calvi

C C L X X I V . Si quis infra regnum rapi-  
nam fecerit, aut cuiquam nostro fidi aut ejus  
homini aliquid vi abstulerit, in triplo, cui tu-